

Eu- et elogium  
nunquam  
intermoriturum  
nobilissimae  
dominae dn:  
Brigittae Fu...

Fortelius, Johan

1700-1829 81 Cbza Fo1. 1716  
*Funck*



National Library  
of Sweden

EU-ET ELOGIUM

Nunquam intermoriturum

NOBILISSIMÆ DOMINÆ

**D<sup>N</sup>: BRIGITTÆ  
FUNCK,**

S:æ R:æ M:tis

Egregiæ fidei viri

Artis ferrariæ,

Quæ pectoralibus bellicis

operam navat,

Inspectoris quondam supremi,

NOBILISSIMI DOMINI

**D<sup>N</sup>. JAHANNIS  
EHRENPREUS,**

conjugis lectissimæ,

Quæ pie & tranquille animum Coelesti suæ origini reddidit XI.  
Septembris; Corpori vero solenni ritu iusta persolvebantur Arbogiæ XXX.  
ejusdem Mensis Anni MDCCXVI.

HOLMIÆ, Typis HENR. C. MERCKELL.

**E**Heu! tristem & accerbum Casum!

Heu! cladem infandam!

O prodiga vitæ tempora!

O Lubrica & ancipitia temporum curricula!

Inexorabile fatum flectique nescium

abstulit, Eheu!

nobisque

eripuit

Non genere magis quam virtutibus,

Nobilissimam Dominam,

**DN. BRIGITAM FUNCK**

Omnium scilicet virtutum compendium;

Ideoqve sexus sui ornamentum insigne

In femineo corpore,

Grato illo & decoro,

femineam sortem sapergessum

circumferentem animum;

adeoqve immortalitate dignam.

O dies nefasta,

funesta merito & atra,

ut quæ

Cognatos desiderio,

Amicos delicio,

Cientes patrocinio,

privasti.

Illi,

Quam perpetuo venerabantur

Omniqve pietatis & honoris obsequio prosequabantur

Communem veluti Matrem,

Calentibus amplexibus non ultra colendam

acerbe lugent:

Isti,

Swavem & jucundam in conversando

sociam,

inter terricolas non amplius sociabilem

anxie dolent:

Hi,

Nutritiam, ad opem ferendam maxime pronam

exosculari non licere

enixe lamentantur.

Animi & fortunæ bonis

excellebat hæc nostra Domina Excellens:

scilicet

Pietas,

Fides,

Castitas,

vitæ morumqve integritas,

&

Quicquid in isto sexu veneramur

in cœlestem animam,

magnarum virtutum

capax veluti domicilium  
&  
commune receptaculum,  
acervatim confluerant:  
Dona fortunæ,  
Quæ  
per terras,  
per maria,  
Communi vitio mortales ambiunt,  
Quæ  
mille votis expetunt,  
non sollicitè quæsita,  
larga tamen  
Ipsi  
Concesserat Divina Manus:  
Ad hæc:  
In summo honoris gradu constitutos,  
REGISQUE Maximi  
Magnos Consiliarios & Amicos  
suos Generosissimos viderat hæredes:  
Et Nihilominus,  
fati cura & consilio,  
humanis rebus eximitur.  
Mortem vero compellantem  
non invitus sequitur  
Cœlestis animus:  
Vanos quippe despiciens honores,  
æternos,  
stabiles illos & perennes  
anelabat;  
peritura atque transitura mundi bona  
haud adorans,  
ad majora, eaqve æviternæ  
adspirabat;  
Celfas animi Dotes  
in morte non reputans amissas,  
sed ex morte  
adaucto cumulo,  
reduplicato scœnore  
revirescentes  
læta prospiciebat;  
proinde  
Lethi supremam lætissima calcabat viam.  
Absit igitur longe a pietate nostra  
ut,  
gaudii immensi  
Nullisque tristium intervallis mixti  
usuram,  
ipsi  
invideremus;  
ut  
augustum animum,

Cœlorum Civem,  
ad has mundi feces  
vitiorumque sentinam  
detrusum vellemus:  
quin potius  
felicitatem,  
Mundanæ omnis & tranquillitatis & lætitiæ  
fastigia supergressam  
soliqve DEO vacantem  
Ipsi  
animus gratulemur.

Vos  
Beatæ defunctæ propinqui,  
Exequias Matri dulcissimæ euntes  
Generosissimi mæstissimiqve,  
dolori ne nimium indulgeatis,  
qva estis  
sapientiæ solertia,  
animi firmitudine,  
gravitate morum,  
si minus tempestive,  
at pie tamen & sedulo  
monemus.

Detis modo  
Virtuti piè demortuæ nunquam intermorituræ,  
quod  
sanctam Ejus & perennem servaveritis  
memoriam:  
Dabimus & nos  
pietati nostræ,  
ut qui  
præsignes & se ipsas veluti superantes virtutes  
coram intueri olim potueramus,  
e longinqvo jam contemplari venerariqve  
nunquam desinamus.

Cultus tui,  
O beatæ defunctæ,  
Virtutum tuarum admiratio,  
ad Encomia Tua enarranda,  
rudi licet Minerva,  
me totum  
adduxere, abripuere:  
Et qui  
merita Tua ingentia  
referre & persequi  
vivæ  
non valui, nec potui,  
supremum hoc pietatis devotiqve animi  
munus  
mortuæ persolvere  
volui, debui.

JOHAN FORTELIUS.